



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Kalendis Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

1

D I A R I V M  
E C C L E S I A S T I C V M

De Sanctis contra pestem  
Tutelaribus.

*Kalendis Ianuarij.*

Circumcisio Domini nostri Iesu Christi secundum  
carnem, cum impositum est illi sacrosanctum  
nomen Iesus.

**A** Joue principium, inquit eius cultor, gentilis poëta: nobis  
verò, utpote veris Christianis, à vero Deo omne actionis  
nostræ auspiciū esse debet; & mihi hîc erit. nam & in-  
super ab Ecclesiastico scriptum reperio: *A Deo est omnis* Eccl. 38.  
*medela.* ideoque Iesu Christo Salvatori nostro, vero Deo, veroque  
homini primum ac principem locum tribuendum censeo inter sa-  
cros hosce Tutelares. Ipse enim Saluator dictus est quia saluum fa-  
ciet populum suum à peccatis eorum: sub quibus, eorumdem etiam  
effectus & pœnæ, morbi scilicet & pestis, comprehenduntur.

Clamemus igitur tempore pestis in infirmitate constituti cum  
propheta: *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitiuse esto* Psal. 123.  
*peccatis nostris propter nomen tuum.* nam, *Adiutorium nostrum in nomine*  
*Domini,* quod qui inuocauerit, saluus erit. Ita nos idem docuit & ex-  
emplo suo præiuit: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini* Psal. 114.  
*inuocaui.* Nisi enim, inquit Hieronymus, Dominus languorem cu-  
rauerit, in vanum laborant medici qui cupiunt sanare languentes. ni-  
si Dominus custodierit sanitatem, in vanum custodiunt qui etiam Hier 1, 8.  
præcepta custodiendæ salutis proprijs edunt libris; semperque di-  
cendum est, non solùm in corporis, sed etiam in animæ sanitate: *Be-* Psal. 108.  
*nedic anima mea Domino, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

A

Quo-



Diarij Medicor. c. 2. Quomodo autem Christus sit medicus & contra pestem Tutelarum, pulchrè inter recentiores Theologos, inquit Molanus, tractauit Ludouicus fidelis l. 4. de Militia Spirituali: Ipsum medicum qui vniuersis quantumuis grauibus ac periculosis medetur morbis, Christum suspice, de quo sublimi sermone Iob loquitur dicens: *Ipse vulnerat & medetur; percutit & manus eius sanabunt.* & paulò post: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.* vnde Ezechiel sub Ezec. 47. typo quodam sic profert: *Non defluet folium ex eo, & non deficient fructus eius, & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* quæ indubiè tum corporibus, tum animabus sanandis plurimùm conducere deprehenduntur. Hic est certè medicus ille, qui hominem ab Ierusalem in Jericho descendentem, saucium ac semiuiuū relictum, Eccl. 38. benignè curauit. hic est vnguentarius, qui curans mitigat dolorem, & pigmenta facit suauitatis, & vnctiones conficit sanitatis, & non consummabuntur opera eius. Hic est certè qui vniuersos languores oleo delinit consolationis, gratiæ, pietatis ac misericordiæ. in cuius vnguentorum odore citissimè auidissimèque currunt omnes fortes Dei athletæ: cuius simbriâ vestimenti omnes malè habentes sanantur. Hic est insignis ille fluuius Dorix, in quo non solùm Naaman Syrus à lepra mundatur, non solùm quotannis vnus sanatur, sed vniuersi à suis sordibus continuò expurgantur, cunctisque infirmitatibus liberantur. Nec perperam hic fluuius nominatur Dorix, quoniam ab ipso omnis medicina, omnisque medela ac vtile pharmacum atque malagma copiosè profluit. dicitur enim, Dorix, generationis medicamentum. Hic est indubiè medicorum omnium absolutissimus, qui solo tactu, verbo, vel nutu languentes curat, claudoserigit, cæcos illuminat, frebre pesteque correptos sanat, sanguinem profluentem perstringit, saucios & mortuos ab Orco reducit, & (vt summatim dicam) vniuersis morbis ac vulneribus, quantumuis grauibus, affatim medetur. ita ille.

3.  
Ianuarij.

*Tertio Nonas Ianuarij.*

Vide cap.  
51. Apot.  
Spir. fol.  
249.

Lutetiæ Parisiorum S. Genouefæ virginis, quæ à B. Germano Antisiodorensi Episcopo, Christo dicata, admirandis virtutibus & miraculis claruit.

Mirum